




UNITED STATES OF AMERICA



FOUNDED 1836

---

W A S H I N G T O N , D . C .





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

D E

SCROPHULA;

QUAM,

SUB MODERAMINE VIRI REVERENDI

GULIELMI SMITH, S. T. P.

ACADEMIÆ PHILADELPHIENSIS PRÆFECTI;

NEC NON,

EX CURATORUM AUCTORITATE, ET FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJECIT

J A C O B U S G R A H A M,

AD DIEM 23 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.



PHILADELPHIÆ:

EX OFFICINA GULIELMI YOUNG.

M, DCC, XCI.





*M. Handley*  
1833

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

D E

## SCROPHULA.

LEGIBUS hujusce Academiæ morem gerens,  
quæ postulant quemque summos in medi-  
cina honores ambientem, aliquod scientiæ tenta-  
men in medium proferre; Scrophulam, ~~argumen-~~  
~~tum dissertationis mihi proposui.~~ Et cum expe-  
rientia sit fundamen, cui medicinæ praxis inniti  
debeat, per totum cogar, undique ex scriptis et  
expertorum operibus, quocunque mihi maxime  
arrideat eximere.

### DEFINITIO.

PLERÆQUE morborum definitiones mancæ  
sunt; sed quoniam Cullenus, naturæ maxime fidus  
observator, accuratius quovis alio medico omnes  
B

*A orationis hujus argumentum, selegi.*  
400743

fere morbos descripsit, ejus definitione hujus morbi hisce verbis comprehensa utor, “ Glandularum (nempe) congregatarum, præsertim collo, tumores ; labium superius et columna nasi tumida; facies florida, cutis levis ; tumidum abdomen.”

### M O R B I   H I S T O R I A.

SCROPHULA systemate lymphatico præcipue sita est, at brevi, post accessionem, totum corpus laborat.

TENERI flaccidique huic morbo sunt maxime obnoxii, et qui sunt insignes crinibus albis, oculis cœruleis, rubicundo oris colore, et consciissis tumidisque labiis superioribus.

HIC morbus <sup>in</sup> infantibus usitatius ~~se~~ ostendit, annum intra ætatis secundum octavumque, raro ante secundum sed saepè post octavum.

SYMPTOMA primum, quod externe appareat, est inflatio glandularum sub maxilla, et circa collum. Tumores quoque nonnunquam apparent digitis, cubito, et interiore lacerti parte, et axilla : itidem superiori cruris parte, subter genu, super femur, et in inguinibus. Oculi sunt inflammatione affecti, ex qua caligo interdum indu-

citur, et palpebræ tumore atque nonnunquam minutis ulceribus exesæ. Vasa lymphatica altius tergo sita, et quoque femoribus, injuria rupta, nonnunquam scrophulosa fiunt ; tunc dolor est maxime acerbus, præsertim nocte.

TUMORES collo, sub auribus, aut maxilla, sunt primo parvi, molles, globosi, sub cute mobiles, absque dolore aut coloris mutatione. Hoc modo manent nonnunquam in annum et ultra, haud magna mutatione. Inde gradatim increscunt, et ni discutiantur, suppurationis speciem subeunt, qua tumores flaccidiores et molliores redduntur. Hoc gradu cutis purpurascit et nitefit, puris fluctuatio, quod viam sibi in partes externas lente parat, liquido sentitur. Tumores phlegmonum acumen minime induunt. Exultatio integumentorum est quoque tarda ; sed tandem, cum cutis nequit ultra resistere, disruptur, et per unam aut plures aperturas nullo dolore pus effunditur.

SANIES effusa puris speciem primo induit, sed multo viscidior est, et haud æque bene concocta. Particulæ exalbidæ, lactis coagulo si millimæ, cum materia serosa effluunt, quæ visci-

dior in dies fit, et puri minus similis. Ut tumores subsident, sic ulcera se extendunt ; et, quamquam minime altius penetrant, nequaquam cicatricem obducunt aut sanari volunt.

Hoc modo diu manent, dum alii tumores, ulceribus succeden<sup>tes</sup>, ut modo descripsimus, eveniunt ; et nonnulli tumorum, qui primi apparuerunt, arent æstate, sed vere subsequenti iterum erumpunt.

MORBUS nonnunquam in longum protrahitur, dum tumores tumoribus succedunt, et ulcera ulceribus, donec tandem sua sponte definit, relinquitque partes affectas fœdis cicatricibus deformes, minime arte vel natura delendis.

POST QUAM morbus diu duravit, articuli interdum fiunt morbidi, et ligamenta, cartilagines, et ossium extrema, quæ articulos efficiunt, sanie effusi acrimonia multum eroduntur. Hujus sanie acrimonia talis est, ut ni remedium brevi adhibetur, succos totius corporis vitiat, et febris hectica subsequitur, qua male sanus mox obit.

MESENTERIUM parvulorum sæpius, ut opinor, afficit quam medici suspicantur. Sympto-

mata, quæ inde oriuntur, variis causis adscribuntur, et sæpius aliis quam veræ. Cum hujus partis glandulæ aut vascula morbo affecta sunt, necesse est totum corpus tabescere : <sup>hi</sup> enim ~~et~~ fontes sunt ex quibus omnes corporis partes succos nutrientes exhauriunt.

**S Y M P T O M A T A**, quæ in hoc morbi gradu usitatius apparent, sunt muscularum flacciditas; vultus pallor ; <sup>correcta</sup> aversatio cujusvis exercitationis, ~~excep~~ <sup>per</sup> præcipue mane; sitis inusitata; appetitus variatio, nonnunquam felix, alias mediocris; calor maximus, præsertim palmis ; oris fœtor ; viscerum dolor ; venter nonnihil tumidus ; pulsus frequens atque debilis.

**HÆC** primo suspicantur esse dentitionis aut vermium symptomata : at mox, ventris dolor augetur, et paulo post æger, quasi spasmus distortus, diem supremum obit.

**M O R B U S** nonnunquam in hydropem definit. Pulmones itidem interdum afficiuntur ; cuius affectionis symptomata sunt, tussis gravis aridaque, spirandi difficultas, dolor obtusus subter claviculam, in latere aut sub sterno. Æger pa-

rum expectorat, discruciatur, et, ni mature sustentatus, hoc morbo in pulmonum exulcerationem desinente, abripitur.

T U B E R C U L A diversi generis pure referta in pulmonibus post mortem inveniuntur.

H U N T E R U S jampridem observavit, glandulas lymphaticas, præsertim colli et pulmonum, utpote aeris impulsu expositas, huic morbo esse maxime obnoxias.

G L A N D U L A E salivariæ, teste Culleno, raro scrophulosæ fiunt.

V I S C E R A abdominis sunt hoc morbo nonnunquam affecta, utpote reperta supra modum aucta.

H I, qui mitiore mutabilique cœlo fruuntur, huic morbo sunt maxime obnoxii. Illos magis quam qui immodico frigori calorique objecti sunt adoritur.

H U M A N O generi minime proprius est, quoniam simias caudatas, porcos, equosque afficit.

S C R O P H U L A plerumque externe appetet vere aut circiter æstatis initium. Symptomata tempestatibus revolventibus multum afficiuntur et variantur. Tumores et exulcerationes glandularum,

quæ erumpunt vere, fere evanescunt aut exsiccantur sequenti æstate, et ita manent usque dum veredit, quo iterum erumpunt, et vices supra memoratas subeunt.

**SCROPHULA** Hippocrati, Celso, Plinioque nota fuit, qui, sub nomine strumæ, accurate descripsierunt.

**C E L S U S**, de hoc morbo loquens, notat, “Struma quoque est tumor, in quo subter concreta quædam ex pure et sanguine, quasi glandulæ oriuntur. Quæ ~~præcipue~~ fatigare ~~medicos~~ solent, quoniam et febres movent, nec unquam facile maturescunt, et sine ferro, sine medicamentis curantur. Plerumque iterum juxta cicatrices ipsas resurgunt, multoque post medicamento opus est. Quibus id quoque accidit, quod longo spatio detinet. Nascuntur maxime in cervice, sed etiam in alis, et inguinibus, et in lateribus. In mammis quoque fœminarum se reperisse, Chirurgicus Meges auctor est.”

**F R E Q U E N S** fuit quoque tempore Edvardi cognomine Confessoris. Is dicitur primus fuisse qui tactu mederi conatus est, et ob hoc plurimi miserorum hoc morbo laborantium ei allati fuere.

PLERIQUE, qui de hoc morbo scripserunt, suspicabantur esse congenitum, et magna ex parte ~~ex~~  
patribus oriri. Causa ~~præcipua~~<sup>hoc</sup>, quæ medicos induxit ut sic censerent <sup>hac</sup> fuit; quod liberi in quibus  
morbus apparuit, et quorum parentes eo itidem  
inficti fuere, ægro parenti temperie similiores  
erant.

LIBERI proculdubio imaginem parentum redunt, non solum persona, sed etiam temperie: unde si duo, debili corporis habitu, parvulos generint, parvuli fere debiles erunt; sed tamen contra nonnunquam accidit. Itidem, si duo, dissimiles habitu, procreaverint, nonnulli procreatorum inveniuntur esse similes utrique parentum. Et denique, si parentes firmitate corporum pollentes prolem produixerint, proles plerumque ~~erit~~<sup>valens</sup> vi gensque.

QUANDO QUIDEM hic morbus infantes adortus est minime ei natura prædispositos, ~~et~~ quoque parentes eo nunquam affecti fuere; at in quibus ortus est ex prava nutricione, aut ex quovis morbo glandularum lymphaticarum diathesin morbidam inducente; et quoniam quidam parvuli parentibus scrophula affectis sati, iisque et

habitu et temperie simillimi, nunquam ostendunt vel minima hujus vestigia; *ideo*, animum nequeo inducere ut credam scrophulam esse morbum hæreditarium.

HIS minime consentire queo, qui opinantur hunc morbum esse contagiosum, neque iis, qui suspicantur ex lue venerea oriri. Si hi morbi eiusdem naturæ essent, eadem remedia opem ferrent, sed quoniam contra re patet, certe liquet, *eos esse* dissimili natura. *effe*

### *De CAUSIS REMOTIS.*

JAM JAM notavi hunc morbum non esse congenitum : et quo magis mecum cogito, eo certius mihi videtur a parentibus non esse deductum, sed nasci ex prava parvolorum tractatione, *viz.*

1. Ex defectu exercitationis, munditiei, et aeris puri.
2. Ex detentione in cunis, stomachis repletis, et perpetuis potionibus somniferis, quibus chylificatio læditur, et constitutiones, quæ alioquin sanæ firmæque forent, imbecilles redunduntur.
3. Ex contusionibus, vulneribus, frigore, instabili tempestate, præcipue vere et tempore autumnali.
4. Ex ~~dormissis~~ et palustribus *planis*

locis. 5. Ex mutatione aut erroribus quoad modum aut genus ciborum. 6. Ex diversis morbis, *viz.* variolis, rubeolis, et omni ~~et gener~~<sup>um</sup> febribus. Quibus omnibus causis glandulæ mesenterii, thoracis, cervicisque et denique pulmonum afficiuntur; totum corpus enervatur, et quantum chyli quod opus est systematis nutrimento, abforbi nequit.

### De MORBI NATURA.

CULLENUS arbitrabatur, proximam hujus morbi causam esse universam succorum acrimoniam ex singulari<sup>quodam</sup> glandularum lymphaticarum structura inductam.

MONRO quoque credit oriri ex humorum acrimonia; ~~at~~ hanc acrimoniam, nescit quomodo procreatam, depositam <sup>tamen</sup> in glandulis lymphaticis, et tumores efficere.

RUSSELLUS censet morbum ex lymphatici systematis atonia enasci. Hæc opinio mihi maxime arridet, quoniam si rite perpendamus illos qui sunt scrophulae maxime obnoxii, atque etiam causas quæ eam inducunt, certe apparebit eos esse laxos debilesque, et causas tales esse quæ totum corpus debilitent.

FLUIDA proculdubio vitium contrahunt antequam morbus in longum duravit, sed est cur aseveremus, hoc vitium fluidorum effectum morbi potius quam causam esse. Verisimile videntur, solida primo ex debilitate laxa fieri, et fluida inde viscida, et minus idonea officio suo reddi.

Ex his causis, nempe ex vasorum debilitate et fluidorum visciditate, obstructiones oriuntur. Hæ præcipue ostendunt partibus jampridem morbo affectis aut debilitatis, utrum ex frigore, quo vasa capillaria constringuntur; vel ex obstructione cujusvis natalis aut factitiae evacuacionis; vel, denique, ex viœ nimis largo, somno incomposito, et omnibus causis supra recentitis.

### *De RATIONE MEDENDI.*

SCROPHULÆ medela multimodis a variis medicis incepta fuit. Nonnulli laudibus extulerunt aquam marinam introsumptam et pro balneo adhibitam, ut et aquam mineralem, ex opinione acrimoniam, morbi causam, systemati lymphatico inhærentem, his rationibus dilui posse.

R U S S E L L U S testatur felicissimos exitus ex usu aquæ marinæ provenire. Multoties hoc remedio usus est, et fere semper maximo commodo.

H U N T E R U S quoque hoc remedium, et lanea vestimenta, præfertim hyeme gerenda, summis laudibus effert.

A L I I autem, morbum esse prorsus debilitatis, et totum corpus esse languidum infirmumque, rati sunt. Ii, hac sententia ~~cretin~~<sup>corticem</sup> Peruvianum, variasque hydrargyri, stibii, plumbique, formulas, alkali volatile quoque, aliaque similis naturæ remedia, sed fere semper magno incommodo, præscripserunt.

M E D I C I extant, qui asseverant, medicamina vulgo dicta discutientia, fomentationes, et omnis generis cataplasmata morbum in pejus accelerare, et tumores ut saniem emittant efficere. Et si hoc saepius accidit, tamen velim cicutæ vim hic præcipue experiri, cum Fothergillus eam tam fauete applicuit, non solum externe sed etiam interne, variis morbis glandularum atque cutis.

C R A W F O R D , Londini, ut ex literis ad Duncan patet, terram ponderosam muriatam nuper

in usum introduxit. De ejus effectibus loquens observat, scrophulam ea penitus subactam esse, postquam in pessimum gradum pervenisset, et formam maxime malignam assumpsisset. In multis quoque carcinomatis casibus succurrit, in nonnullis in sanitatem restituit. Præterea observat, hoc medicamen utilissimum esse in cutis eruptionibus, et crurum ulceribus.

**F**ORMULA hujus salis, qua utebatur, fuit solutio saturata, in aqua acidulata, dosibus a quatuor ad decem guttas bis die. Præscripsit quoque sumendas <sup>in</sup> aqua pluviali aut distillata, nam arbitrabatur remedium inefficax fore, si aqua vulgo dicta ~~densa~~ assumeretur.

**M**EDICI multi spongiam ustam in hujus morbi remedium laudibus extulerunt.

**P**RÆFATIS remediis a celeberrimis medicis commendatis, nunc ad medendi modum ex symptomatum natura deductum transeo.

**C**ULLENUS expertus est balneum frigidum, et frigus læsis partibus appositum, omnium remediorum esse utilissimum. Ex hoc suspicor scrophulae diathesin esse duplēm, alteram nonnunquam nimiæ incitationis, alteram debilitatis. Quod

frigus debilitat unusquisque confitetur ; tunc si scrophula morbus esset meræ debilitatis, loco leniendi frigus morbum augeret.

UT ratione procedamus æquum erit, ut opinor, symptomata in duas classes sejungere ; in prima disponere hæc quæ inflammationem aut nimiam incitationem fere comitantur, in altera quæ debilitati conjuncta sunt.

**C L A S S I** primæ aut inflammatoriæ pertinent affectiones mesenterii, jecoris, pulmonum, et bronchiarum ; itidem labiorum, faciei, sub maxilla, et circa collum tumores ; occipitis eruptiones ; rubor et tumor oculorum palpebrarumque. In omnibus quibus affectionibus pulsus plerumque frequens est atque tensus, quocirca talia remedia adhibenda, quæ nota sunt esse maxime efficacia in medendis morbis in quibus nimia incitatio inest.

**P R I U S Q U A M** aliquid aggrediamur sedulo pendere necesse erit. 1. Ægri ætatem atque temperiem. 2. An totum sistema lymphaticum vel pars modo affectum sit. 3. Progressum gradumque morbi.

His rite perpensis, si ex symptomatibus apparet, pulsu præcipue, (quo duce freti haud sæpe errabimus) remedia antiphlogistica esse necessaria, tunc utendum erit sequentibus ; nempe :

1. **SANGUINIS** emissione. Pulsus lumen nobis præbebit, quoad modum tempusque quo repeti debeat. Medici Russellus et White, qui hunc morbum scienter descripferunt, curaveruntque, sanguinem emiserunt, et medicamenta quæ corpus debilitant exitu felicissimo præscripferunt.

2. **MEDICAMENTIS** catharticis. Lenes hydrargyri preparationes anteponendæ sunt, quoniā glandularum et vasculorum lymphatici systematis obstrunctiones solvunt. Hæ preparationes adhibendæ sunt noctu, exiguis dosibus, sic ut alvum leniter cieant. Si tempore dentur, morbo venienti occurrunt, qui semel inductus ægre radicitus evelli potest. Si quævis aciditas ventriculo adsit, aptum erit hydrargyrum cum quibusdam mitioribus absorbentibus adunare. Laxantia administrentur quarto quoque vel quinto die.

3. **ABSTINENTIA.** Usui erit in hoc morbi gradu a carnium usu ciboque plus satis nutrienti abstinere.

4. REFRIGERANTIBUS. Refrigerantia partibus dolorificis apposita maximi momenti sunt. Beneficia, quæ ex frigoris usu oriuntur, in omnibus morbis ubi est nimia incitatio, jam nota sunt cunctis. Corporis calorem minuit, respirationem coercet, pulsusque tardiorum reddit: unde nullum aliud remedium inveniri potest, morbis inflammatoriis hoc accommodatius, morbi gradu frigorisque rite considerato.

TUMORES, admoto tepido vapore aut electricitate aliquando, resoluti fuere. Unguentum ex hydrargo magno beneficio a nonnullis in usum adhibitum fuit; et præterea, vesicatoria et ammoniacum vegetable.

Si capiti eruptiones appareant emplastrum saturninum aut ex cera iis adhiberi debeat.

PALPEBRIS inflammati, aut ulceribus exesis, utile erit aquam vegeto mineralem <sup>vel</sup> aluminis solutionem aut vitriolis albi, adhibere; et, ne noctu cohærent, quovis miti unguento oblinere.

HÆC remedia, regimine idoneo rite observato, raro, in hoc morbi gradu, expectationem fallunt.

**T**ESTES marium, circiter pubertatem, tumore nonnunquam afficiuntur. Quando hoc accidit ægrum lecto affigere opus erit, et, scroto suspenso usque dum hoc symptoma evanuerit, sic detinere. A pulsu hic quoque, roboris indicia petenda sunt. Hoc, discemus an usui erit sanguinem emittere, catharsin administrare, ut et quale regimen præscribendum sit.

**P**UELLARUM mammæ, circiter ætatem supra dictam, tumore similiter afficiuntur, et tumor fere se in alas extendit, et sic doloris expers diu manet.

**H**IC, quoque, remedii supra recensitis inflammationi obsistere aptatis, uti usus postulet, utendum est.

**S**CROPHULA in pulmonum tabem aliquando terminat; sed quando has partes afficit, irrepit adeo teste, ut ~~non~~ <sup>se non</sup> manifestat, usque dum corpus jam devictum fuerit.

**U**TR in tabe a quibusvis aliis causis orta, regimen symptomatibus succurrit, et malorum lenimen, in quoddam tempus, dolenti præbet, sed morbus fere semper exitium afferit.

MIGRATIO in cœlum serenum, lenis corporis exercitatio, et mites hydrargyri formulæ, alvum leniter cientes, ~~maximi momenti~~ in hoc morbi ~~maximi sunt momenti~~ gradu ~~gradu~~ Cibus sit solubilis et stomacho gratus. Totius corporis frictio, languorem et relaxationem huic morbi gradui individuam maxime sublevat.

DE remediis secundo morbi gradui aptatis. In hoc morbi gradu, ut posthac ordine apparebit, universæ debilitatis symptomata adsunt, pulsus debilis est, totumque corpus languidum.

CUM prima scrophulæ symptomata, post pertussim, rubeolas, variolas, aut febres cujuscunque generis se indicant, non dubitandum quin morbus ex debilitate pendet. Hinc canales succiferi obstruuntur, et officio suo fungi incapaces reduntur.

SYSTEMA lymphaticum non solum hic patitur, verum etiam totum corpus mutua debilitate afficitur.

PRIMO tentandum est ut obstruktiones removeamus, quoniam minime potest fieri, ut corpus, absorbentibus obstructis aut debilitatis, in sanitatem redeat. Quo felicius hoc efficiamus, reme-

dia, quæ systema minime perturbent, eligenda sunt. Ad hoc hydrargyrum crudum cum mucilagine conjunctum interne administrari potest, et partes externæ unguento ex eodem fricandæ. Thermæ in hoc morbi gradu usui sint. Ægri cibus sit levis et concoctu facilis, qualis, lac, jufcula, et jus e carnibus elixis concretum. Potus autem sit acescens, parum vinosus, sed nequam spirituosus. Lenis corporis exercitatio quoque, in regione excelsiori salubrique, in sanitatem maxime conducit.

**PRACIPUE** cavenda est alvi astrictio. Si diarrhœa adsit, laudano coercenda est.

**HIS** remedii rite prolati, dolor fere sedatus erit et salus instaurata.

**ET SI** medicamina supra recensita dispensata fuerunt, morbus nihilominus symptomata ingrata nonnunquam exhibit. Glandulæ cervicis, aliasrumque corporis partium tumore affectæ, in suppurationem tendunt et speciem longe aliam quam antea induunt. Cutis colorem mutata, tenuior fit, et tumor ipse flaccidior redditur.

**AMEDICIS** disputatum fuit, utrum tumores aperiantur necne. Plerique passi sunt sponte

rumpi. Aequum erit remedia in resolutionem prius adhibere, et si hoc non possit effici, prorsus arbitror tumores, fluctuatione manifesta, recludi debere.

**C A U S A E**, quæ cogunt ut sic censeam sunt: 1. Apertio fieri potest loco maxime idoneo. 2. Saines citius exhauriri potest, quam si tumores naturæ relinquantur.

Hæc mala eveniunt ex tumoribus relictis, usque dum pus viam sibi per cutem patefaciat. 1. Longum erit, priusquam cutis adeo tenuis fiet, ut puri transitum præbeat. 2. Apertio non solum parva erit, sed etiam loco incommodo. 3. Puris detractio diutius morabitur quam si tumores aperiantur.

**Q U A N D O Q U I D E M** rarissime accidit, ut pus semel effectum postea absorbeatur, maxima beneficia ex tumoribus tempore referendis manabunt. Quo diutius a vi medicus se retinet, eo debilius *fit* ægri sistema, et morbus ~~difficilior~~ ad medendum *et difficilior*.

**I N C I S I O N E** facta, usui erit aliquod mite astrin gens injicere, et postea quoddam lene emplastrum parti apponere.

NUNC enitendum est corporis vires restituere, ut hoc malum tantum locale abigamus : et quoniam totius corporis laxitas adest, nullum præstantius remedium inveniri potest cortice Peruviano, dosibus diathesi rite accommodatis.

EA scrophulæ species, quæ morbis jam enumeratis succedit, fere localis est, et finem propitium habet. Pessima est ea, quæ, cum rachitide conjuncta, ex prava nutricatione oritur. Hac, totum systema vitiatur, ossa deformia redduntur, et si æger primo accessui supervixerit, infirmus per totam vitam postea manet.

LINIMENTI volatilis et vesicatoriorum usus, lymphaticorum altius repositorum, dolorem fere lenit. Si tamen tumor dolorque maneant, et seriffus absorptio effici nequit, incisio maturius fieri debet. Si tumores, usque dum sponte patefiunt, permanere patimur, universam debilitatem augemus, et morbum difficilius sanatu reddimus.

PUNCTURA sit parva, et vulneris tractatio eadem ut supra.

MEDENDI indicatio hic quoque est debilitatem sublevare. In hoc, cortex Peruvianus primum locum tenet. Nullum aliud remedium, teste Fo-

thergillo, hoc aptius, huic scrophulæ gradu inviri potest. De hoc medicamento loquens ait, “ The first attempt I made in the cure of some scrophulous complaints by the bark, afforded me sufficient encouragement to proceed : and I have now the satisfaction to know many young people of both sexes free from any appearances of this disease, who, in their infancy, had been infested with very painful ophthalmies, swelled lips, and the like complaints, in spite of many efficacious remedies which had been applied.”

**I**DEM Fothergillus, corticem nullius usus esse notat, quando ossa aut articuli afficiuntur. Loco minuendi, febrem ossibus laesis comitem auget, et hinc nocet. Una cum cortice Peruviano, maxima beneficia, in hoc morbi gradu, ex usu vini, opii, cibi nutrientis potusque, lenis exercitationis, aerisque puri, oriuntur.

**Q**UANDO ossa carie aut exfoliatione affecta sunt, morbus tardus erit et molestus. Medicamina, quæ systemati tonum reddant, sunt præcipue necessaria. Vires, hic quoque, vietu lauto, aere puro, corporis exercitatione, et applicationibus stimulantibus partibus laesis, revocandæ sunt.





Med. Hist.

WZ  
270  
G739d  
1791  
C'1

